



M
H

Rubr. XVIII, Nro. 32. C.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.



77

De instituendo literarum
Latinarum studio.

Continentalis Bibliothek : Phil. Carl. Hillb. Aug.
Hess. Provinzialbibliothek ; & Friedr. W. Hillb. Schullehrer
Cothenis.

Examini 1800. 31. Mart. hora 9. ant. habendo
præmisit

C. F. R. Vetterlein, Rector.

Cothenis.

154

De institutis litterarum
Litterarum studio.

Oratiunculas habebunt: Pbil. Car. Wilh. Aug.
Fitzau, Preuslizenfis; & Friedr. Wilh. Schumann,
Cothenienfis.

Examinis 1800 pro Martio hinc & inde habendo
primis
C. F. R. Vetterlein, Receptor

Cothens

Est apud me fasciculus epistolarum, a viro quodam docto mihi que familiari ad filium amici demortui haud ita pridem scriptarum. In quibus cum id egerit ut juvenem a patre sibi commendatum ad studia humanitatis excitaret, ac multa prudenter utiliterque dicta viderentur, visum est non alienum, pauca ex iis depromere, & nunc quidem, quæ adolescentem monet de studio literarum latinarum, in discipulorum gratiam hisce mandare chartis.

Equidem vehementer gaudebam, cum tuas nuper literas legissem, quibus me de tuo in studia humaniora amore certiores fecisti, quem dicis in dies augeri, nec ullum te tempus credere melius collocatum, quam quod latinis tribueris literis. Rogas ergo, ut tibi quosdam ex bibliotheca paterna libros mittam, & de studio earumdem literarum sapienter instituendo consiliis te juvem & præceptis: quod enim otii ab institutione publica reliquum sit, id totum te in legendis & terendis latinis auctoribus velle consumere. Quorum alterum a me habebis, alterum denego; præcepta discendi qualiacunque tibi mitto, libros, quos petis, non mitto. Nam, pro deum atque hominum fidem! quorsum tibi tot tantaque volumina, ad quos usus

tu adhibeas tam vastos antiquitatis & eruditionis thesauros, tam spissas scriptorum cum notis Variorum editiones, tamque amplos commentarios? quos si tibi perlegendos sumseris, totos annos in singulis hærebis auctoribus. Vide, ne affectes magnificum illud Philologi sive Critici nomen, quod iam non tuæ ætatis est; neque te natum credas ad antiquarum rerum inquirendarum studium. Nam salvo interpretum doctorum honore, meliores multo uberiorisque fructus ex Veterum studiis percipi possunt, quam ista explicandi & emendandi facultas. Te vero non fugit, eo te consilio studiis doctrinæ esse dicatum, ut & ad res gerendas fieres idoneus, & vir evaderes honestus & moribus artibusque cultus & instructus. Vtrumque quæso semper tibi ob oculos proponas; nec in istis studiis, quæ scholastica vocant, unquam amittas e conspectu. — Finis vero vel σκοπος tractandarum tibi literarum latinarum primus est ut *intelligas* latine & scribentes & loquentes; proximus autem, ut, dum hanc linguam addiscas, utilium simul rerum scientia imbuare, & quod caput est, ut his studiis, tanquam bonæ mentis officina, animum ingeniumque ita afficias, ut merito dici possis & ad humanitatem & ad artes liberales excultus.

In prima igitur re, quæ in intelligendi sermonis latini facultate conspicitur, tota fere illa continetur preparatio ad altiores (ut vulgo audiunt) scientias, ad studia nimirum theologica, medica; nec ob aliam postulant causam, ut hujus linguæ sis peri-

peritus, nisi ut possis legere libros & audire doctores, qui in tradendis illis eruditionis partibus sermone utuntur latino. Quamvis enim hæc quoque studia, quæ practica vocant, melius ac facilius tractabunt, qui humanioribus ingenium aluerint literis: omnino tamen necessariae ad ea colenda non sunt, & magnos sæpe videmus jure consultos, magnos item medicos, in scriptis Classicorum hospites; intelligendi vero libros latinos facultate carere nullo modo possunt. Hinc est, quod viri quidam docti, iique haud insulsi, classicorum loco, recentiorum libros latine scriptos in scholis censeant legendos: ut qui nostris temporibus sint propiores, longe faciliores intellectu, & rebus nostra ætate gerendis multo accommodatiores. Falluntur tamen, duabus maxime de causis. Primum enim, in publica juventutis institutione non satis est, eademum spectare, quæ disciplinis practicis viam muniant, quibusve præparentur studiosi ad obeunda munera illa vulgaria, sed omnibus iis rebus eorum animi instruendi sunt, quæ non civem solum in quocunque vitæ socialis loco, sed & hominem in rebus privatis, in otio & negotio videantur posse juvare. Deinde latinitatem librorum recentiorum constat satis puram non esse, sed ex paterno cujusque scriptoris idiomate multum peregrini trahere. Novi enim scriptores non tantum genuinam vocabulorum latinorum ordinem pro ratione patrii sermonis solent invertere, quo fit, ut quæ scripserunt, gallicismis, germanismis scateant; sed quod multo
pejus

pejus est, & falsas quoque vocibus latinis notiones subji-
ciunt. Hinc est, quod qui novam modo cal-
lent latinitatem, Veterum libros male intelligant,
verbisque, quibus usi sunt, nec veras nec accura-
tas animo supponant imagines. Vitiant ergo libri
recentiorum, certe plerique, Romanae linguae scien-
tiam, certe in tironibus iisque, qui familiaritatem
aliquam cum genio sermonis nondum contraxe-
runt. Quamobrem, amice, noli multam conferre
operam in ea, quae novis temporibus latine scripta
sunt; antiquos potius, inprimis ex aurea illa aetate,
aliquot abhinc annis solos censeo tibi legendos,
donec, peracto scriptorum Romanorum curriculo,
quod tibi indicabo, justam & exquisitam sermo-
nis vetusti scientiam fueris consequutus; alioquin
metuendum est, ne in evolvendis Veterum, magno-
rum utique virorum scriptis, vel pulcherrimarum
& acutissimarum rerum te fugiat vis. Etenim il-
lam, quam dicunt proprietatem vocum, quae non
nisi ex ipsis Romanorum libris discitur, bene cog-
nitam habere oportet, qui vult & veros scriptorum
sensus, acutos saepe & sublimes, assequi & quam
quaeque rebus accommodatae ab illis dicta sint, vi-
dere. — Sed cum ad intimam quasi amicitiam La-
tinitatis, tanquam Deae, receptus, veram illius lo-
quendi rationem perceperis & non oris modo so-
num, sed & vultum omnesque corporis motus
probe cognoveris: tum vero licebit recentiorum quo-
que legere libros, praesertim saeculi XVI. & si qui
alii puritatem illam sermonis antiqui non infeliciter
sunt

sunt sequuti, ut Hugo Grotius, Aug. Ernesti, &c
 — Et de fine quidem addiscenda linguæ latinæ primo satis dictum est; sequitur deinceps ut pauca de proximo sive secundario adjiciam, qui in formandis ad humanitatem & prudentiam juvenum animis cernitur. Et latinæ quidem literæ ad hanc rem plures habent opportunitates, variosque ad ingenium alendum præbent usus: quos noli unquam in his studiis e conspectu amittere. His enim omnis latinæ literas bene tractandi ratio continetur. Primum opera danda est, ut Romanorum naturam & conditionem, imprimis vero rempublicam penitus cognoscas, ad quam rem plurimum conferunt historiæ Rom. auctores. Quo factò non solum cætera, quæ scriptis Romanorum insunt utilia, melius & facilius intelliges; sed augebis quoque tuam generis humani scientiam, (historiam humanitatis dicunt) cui populi tantopere memorabilis notitia haud paullum lucis videtur præferre; denique, cum olim ad res politicas animum applicaveris, ad rectum maturumque de optimo reipublicæ statu iudicium permultum tibi proderit, rerum Romanarum bene nosse naturam. Alius harum literarum usus in eo est quod multivariam præbeant copiam, cognoscendi communem hominum naturam & discendi in sentiendo agendoque modum; excellunt enim in moribus ingeniisque describendis Romani scriptores tum alij tum imprimis poetæ. Quæ res facit non solum ad prudentiam civilem parandam, sed etiam ad artes liberales feliciter colendas.

das. Tertium est, ut pulchri sensus, & ille quasi gustus, acuat, quod melius fieri non potest, quam libris Classicorum legendis, pulcherrimis illis & elegantissimis; quartum vero, ut lectio scriptorum latinorum, disertorum sane & in quovis genere scribendi excellentium, occasionem præbeat, stylum sermonis patrii exercendi, quod locis auctorum illustribus cum interpretandis, tum imitandis potest fieri; quintum denique, ut aditum tibi patefacias ad philosophiam illam Veterum, gravem & solidam, verborum spinis & argutiis non adeo corruptam, quæ se tibi ducem præbeat & ad virtutem civilemque prudentiam & ad artes quascunque ingenuas feliciter colendas, ingenio quidem Græcorum inventam & a Græcorum potissimum libris petendam, sed latino quoque sermone & ab aliis & a Cicerone luculenter eleganterque expositam.

Sed antequam ad scriptorum, quos studiis tuis privatis commendo, transeo delectum, pauca prius dicenda sunt de *subsidiis*, quæ videntur laborem hunc tuum posse levare, librorumque aperire intelligentiam. — Et subsidia quidem *generalia* e libris aliquot manualibus petenda sunt, docte quidem eleganterque conscriptis, in quibus & linguæ latinæ ratio explicata & res antiquæ, quas lectores ignorare non debent, satis sint expositæ; utriusque tamen nec multi sunt nec vasti! Ita vero iis utendum, ut & in scriptoribus legendis passim evolantur & singula singulis diebus legantur capita.

(1) Et primum quidem horum subsidiorum bona aliqua *Grammatica* est, quæ & doctè & lucide conscripta sit, qualis mihi videtur & ea, quæ audit Marchica maior, composita a Christiano Rubino, Berolinensi, & quæ Christiani Theophili Broederi debetur studiis. *) Quarum alterutra fac tibi in hoc studio sit ad manus, ut eam & sedulo evolvas & perlegas aliquoties totam, non uno id quidem tenore, sed minutatim & per partes eundo. Neque te tædium capiat rerum initio parum jucundarum; insta modo, mox decrescet tædium tandemque studio victum abibit. Nisi enim legum hujus linguæ oppido sis peritus, scriptorum sensus nulla certa ratione vel percipere vel eruere poteris, nec unquam tuæ interpretationi confidere licebit. Indocti est, eorum, quæ legit, divinare vim, semperque sibi diffidens legere & nusquam non hære. Tu vero enitere, ut omnium, quæ legis, rationem reddere, omnium locorum sententias, si opus sit, recta ratione declarare possis; hoc autem sola tibi præstabit *Grammatica*; qua probe cognita, multo celerius faciliusque quosvis Romanæ linguæ libros & intelligere & patrio quoque sermone exprimere
pote.

*) *Vollständigere lateinische Grammatica Marchica.* Berol. 1718. Haec prima est editio; quarta Berol. 1751. sed priores præstant. Editiones fraudulentæ sunt e. g. Isenaci 1723. Erfurti 1745. &c.
— Chr. Gottl. Broeders *praktische Grammatik der lateinischen Sprache.* Lpz. 1787. Ed. II. 1793. Ed. III. 1797. *Epitome* sub titulo: *Kleine lat. Grammatik.* Lpz. 1795. Ed. II. 1797.

*Flucka
1735*

f. Ed. vta, 1800. 1690

poteris. ^{du} Etenim habitus, quos dicunt, parantur illi quidem usu & consuetudine: at si ratio artisque praecepta accesserint, facilius acquiruntur & firmius retinentur. — (1) Alterum intelligendi latina subsidium *Lexicon* est. Eligendum vero compendiosum aliquod, ab eo conscriptum auctore, qui utriusque linguae bene fuerit peritus: quale est Schellerianum, cui titulus *manualis*. *) Hoc vero ad scriptores sic adhibendum, ut ubicunque aut vox aut phrasis minus nota occurrat, nunquam graveris quærere quamnam habeat vim. Faciendum vero hoc est impigre, & alacriter, nimisque diu in Lexico nusquam hærendum: ne animus a libro quem legis avocetur ad aliena & connexu rerum abrupto igniculi illi, ingenio scriptoris accensi, male exstinguantur. — (2) Tertium quod studia hæc adjuvet subsidium *historia Romanorum literaria* est, sive literarum latinarum notitia: sed desideramus adhuc librum, quo docta simul & brevi ratione explicarentur. Tu tamen utere Fabricii bibliotheca latina, ita quidem ut subinde eam evolvas & lecturus certum aliquem scriptorem, id, in quo de eo agitur,

*) Edidit Immanuel Joh. Gerhardus Schellerus
 a) Lateinisch-deutsches und deutsch-lateinisches
 Lexikon. (3 partibus. s. 2 tomis.) Lpz. 1784.
 Editio secunda sub titulo: Ausführliches und möglichst vollständiges lateinisch-deutsches und deutsch-lateinisches Lexikon. 4 Bde. Lpz. 1788. — b) Lateinisch-deutsches und deutsch-lateinisches Handlexikon. Lpz. 1792. Ed. II. 1796.

lagitur; caput consulas. Sed cum Fabricius, quamvis auctus ab Ernestio, nostra tempora non attingat: adjiciendus recentioris alicujus, sive c. Harlesii labor. *) — (4) Cum vero orbis terrarum antiquus magni instar sit theatri, in quo Veteres & ipsi versati sint, & eorum, qui scripta legunt, tanquam auditorum suorum animos intentos teneant: ne tibi insolita sit illius facies, opera aliqua in Geographiae antiquae studio collocanda est. Adhibere ad hanc rem potes aut librum manuum a Nitschio compositum; aut opus Danvillianum, emendatum a nostratibus & auctum. **) — (5) Sequatur deinceps

*) Joh. Alb. Fabricii bibliotheca latina, nunc melius delecta, rectius digesta & aucta, diligentia I. Augusti Ernesti. 3 Tomis, gr. 8. Lips. 1773-74.

— Th. Chr. Harlesii introductio in historiam linguae latinae. Breae 1764. Editio II. 1773. — Eiusdem Introductio in notitiam Literaturae Romanae. Partes II. Norimb. 1781. Sub novo titulo: Lips. 1794. Eiusd. Supplementa ad notitiam Literaturae Romanae. P. I. Lips. 1799.

**) Kurzer Entwurf der alten Geographie von P. F. A. Nitsch. Lpz. Ed. Ilda 1792. — Eiusd. Wörterbuch der alten Geographie. Herausgegeben und fortgesetzt von I. G. C. Höpfer. Halle 1794. — Händbuch der alten Erdbeschreibung zum Gebrauch der elf größern danwillischen Landkarten; aus den besten Quellen verfasst. 2 Bde, s. 4 Th. Nürnberg. 1785-86. Editionis novae initium 1798. Auctores fuere Hommel, Stroth, Bruns & Ditmar. Tabulae istae sub titulo profiant: Atlas Danvillianus antiquus, in officina Wei.

f Edit. totia sub tit. Brevia notitia litt. Rom.

antiquitatum, quas dicunt, Romanarum notitia, ad intelligentiam librorum veterum maxime necessaria; qua destitutus nullum omnino scriptorem, antiquum sane, vel legere vel explicare vel denique de rebus, quas tractat, judicare poterit. Heic tu dtaris velim libro, ab eodem, quem paullo ante nominavi, Nitschio conscripto germanice. *) —

(6) Historiam denique Romanam, sive rerum a Romanis gestarum memoriam, quam ad hæc legentium veterum subsidia vel imprimis referre solent, idque non immerito, eam ex fontibus antiquis haurire te malim; præmissa tantum brevi aliqua rerum harum delineatione, qualem vel in manualibus universalis historiae libris invenies. Ex hac enim mea studiorum descriptione primi legendi erunt historicorum Rom. nonnulli, adhibito tamen libro quodam, quem indicabo, novi cujusdam auctoris, qui universam Rom. historiam, uno opere contextam exposuit.

Et

Weigelio - Schneideriana; in forma maxima; Norimbergæ 1784. In formam minorem redactæ 1799.

*) P. F. A. Nitsch Beschreibung des häuslichen, gottesdienstl. sittl. politischen und wissenschaftlichen Zustandes der Römer. 2 Th. 8. Erfurt 1788-90. F. Epitome sub titulo: Einleitung zur Kenntniß des Zustandes der Römer. Erf. 1791. Existat & spuria maioris libri editio, facta per fraudem bibliopolæ Vindobonensis, cui nomen est Schraembl.

2. Ausg.
F. Edelmann, verm. u. verbeß. v. J. Heinrich Martin Er-
nesti. 2 Th. 1791 = 96.

Et de rebus quidem & subsidiis, quæ ad quoscunque Veterum libros bene intelligendos faciunt, satis est dictum; restat ut de illis dicendum sit, quibus singulorum scriptorum & locorum explicantur sensa, quorum duplex video genus. Vnum quidem *annotationum* est, quibus Editiones Veterum a viris doctis videmus instructas; alterum *bonarum versionum*; utrumque minime contemnendum, sed habet aliquot cautiones.

Nam editionum habendus est delectus, & primum omnium circumspiciendæ sunt, quæ textum habeant quam emendatissimum; criticas dicunt. Sed, cave omnium, quæ critico tuo probantur, lectionum & emendationum ipse quæras rationes, teque in immensum illud variarum lectionum mare immergas. Nam id quidem non est adolescentis, qui usu Veterum alere animum decreverit, & ad majora natus, studiosa minutarum infinitarumque rerum sedulitate, valetudinem corporis infringere generososque animi spiritus deprimere nolit. Singulis tamen in locis, quorum sententia paullo maioris videatur momenti, quorumque lectio post curas criticorum etiamnum mansit vitiosa, immorari si velis paullisper, equidem non prohibeo; sed heic quoque diligenter tenendus est modus. Deinde ista, quibus utare, editiones tales suppeditent annotationes, quibus tironibus difficilia explicentur loca, quæque usibus interserviant non doctorum, sed discipulorum. Ejusmodi vero editionibus quamvis

non abundemus, existant tamen nonnullæ. Equidem, rejectis Minellianis, Sincerianis, & id genus aliis, non dubito in hunc numerum referre ex vetustioribus Farnabianas, ex recentissimis vero, quas viri quidam docti ad usum Encyclopædiæ scholasticæ Brunsvicensis conscripserunt. Sunt & singulorum in singulos quosdam veterum libros editiones, primis studiis utilissimæ, ut Cellarii, Cortii, Math. Gesneri, Heumanni, Mich. Heusingeri, Heynii, aliorumque, quæ ut tibi innotescant, oblati utere occasionibus interrogandi harum rerum peritos.

¶ *sublebo sic subnebat munonebo mmi*
 ¶ *mut* Versionibus vero scriptorum veterum & germanicis & gallicis, (quoniam scis & gallice,) utendum est illis quidem, at nec quibuslibet, nec ut præsidis fegnitæ. Eligendæ igitur non nisi quæ notæ optimæ sunt, in quibus sunt & sensa auctorum fideliter reddita, & elegantia recentioris linguæ, veraque loquendi consuetudo non neglecta. Taliū vero cum copiam fueris nactus, prius eas consulere noli, quam data opera, ut propriis viribus proprioque ut ajunt Marte verum cujusque loci sensum invenias. Ne contempnas, quæso, hoc consilium, aut leve putes! Crede mihi, maximi momenti res est. Nam nec utilius esse quicquam potest versionibus antiquorum librorum, si quis bene iis utatur, nec nocentius, si male; nihil accomodatius multa brevi tempore lecturo, nihil, quod magis prodest Antiquos facillimo labore intellectuoro; at nihil, quod æque retardet veros studiorum profectus, & humaniorum literarum perdat fructus, quam si quis, perversa ratione, versionum opè prius, quam iudicii sui vi, scriptorum sensa quærere consuecat; næ ille nunquam propriis viribus uti, nunquam in literis sui fieri iuris, nunquam ali-

quod

quod mentis ingenique robur nancisci potest. Optimo enim bonæ mentis exercitio destituitur. Atque te non celabo, non cuivis me versionum usum commissurum; molles enim, laborisque non sat patientes solent iis abuti; te vero, cuius & industriæ & honestæ laudis amori maxime confido, præclaro ad hæc studia adjumento privare nolui.

Sed video longiorem me jam scripisse epistolam. Quare ne te obruam præceptis, quæ restant alio tempore dabo. Ne vero tuam librorum spem penitus frustrari videar, mitto tibi Schelleri de explicandis latinis scriptoribus librum, *) nec iis, quæ dixi, alienum, nec tibi, ut spero, inutilem. Cura ut valeas."

*) *I. I. G. Schellers Anleitung, die alten lateinischen Schriftsteller in den obern Klassen der Schulen zu erklären. Halle 1770. Ed. II. 1783.*

quoque mentis languore laborare non potest. Op
tino enim bonis moribus exercitio consistit. Ad
que te non cetero, non enim te vestimenta solum
comitantur, nullas enim, laboribus non fac
patientes solent esse ab illis, te vero, cuius de
dignitate, hanc te laudis amori maxime condat,
procurare ad hoc studium adjuvare noluit.

Sed video longiorum me iam desipisse episto
larum. Quare ne te optanti preceperis, qua reser
tuo tempore dabo. Ne vero tuam librorum solum
penam traxeris videam, mitte tibi Schelleri de ex
plicanda latina scriptura solum. *) nec his, qua
dixi, aliquid nec tibi, ne spero, iustitiam. Cui
ut valeas.

*) I. G. Scheller's Abhandlung, die alten latein
ischen Schriftsteller in den oben Klaffen der Schri
ften zu erklären. Halle 1790. Bd. II. 173.

Faint bleed-through text from the reverse side of the page, including a signature and date.



AB 155 562

ULB Halle


3

005 301 36X



Sb.

12



B.I.G.

Farbkarte #13

De instituendo literarum
Latinarum studio.

Examini 1800. 31. Mart. hora 9. ant. habendo
præmifit

C. F. R. Vetterlein, Rector.

Cothenis.

